



**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitulum XX. Si beneficia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](#)

1. *Papa collatio aut reservatio impedit inferiorem Ordinariam, quo minus validè conferre possit, tametsi rei ignarus sit, ita ut per solam manus appositionem fiat tale beneficium afferendum Papa.*
2. *Redire potest ad beneficium regnum, qui ex falsa causa per probabillem ignoranciam beneficium priori non nunciatavt.*

que ex gratia, & favore erga ipsum, talis favor latam interpretationem meretur; verumtamen excipi debet, nisi dispensatio versetur circa materiam valde præjudicalem, aut noxiā, præsertim Ecclesijs, quandoquidem omnis gratia Principis ita intelligi debet, ut quam fieri potest, non tendat in allorum, præsertim communitatibus, aut Ecclesiæ, seu directe seu remotè præjudicium, ac damnum, prout Anchoran, hic notat n. 4. *Felin. in c. postulaſti n. 11. de rescriptis Sanchez eit disp. n. 3.* Cūm itaque beneficiorum pluralitas Ecclesijs valde noxia sit, atque ministrorum paucitatem, inæqualitates, ac querelas, atque divini cultus diminutionem concilians, ideo facultas dispensandi in tali pluralitate stricte habere debet interpretationem. Vide, quæ docui lib. 1. tract. 4. c. 23. n. 6. & 7.

## CAPITULUM XX.

### Si beneficia.

#### PARAPHRASIS.

Si accidat, ut postquam Papa beneficia contulit, vel ea collationi sua reservavit, ordinarius collator ejus rei ignarus, eadem beneficia alijs contulerit, qui propterea beneficia sua priora propter incompatibilitatem, vel pluralitatem resignarunt, hoc casu, ne inculpata ignorantia eis damnoſa sit, statuit hic Bonifacius VIII. ut si ipſi post cognitam Papæ collationem, vel reservationem beneficia, ita sibi de novo collata, dimiserint, ad priora sua beneficia, non obſtant, quod jam alijs personis collata fuerint, liberè revertantur; ſi autem difficultatem exhibeant in illis dimittendis, ipſis ad priora revertendi facultas interclusa ſit; & idem obſervandum circa alios, qui ab his dimiſſa beneficia dimiserunt, ut ſi fine difficultate reſtituant recens accepta, ad priora dimiſſa liberè reverti poſſint, alioquin verò non poſſint.

**N** Otandum primd. Collatio, vel referatio Papa impedit, quod minus inferior ordinarius collator validè beneficium tale conferre poſſit, tametsi rei ignarus ſit. Ratio peti debet ex prærogativa potestatis Papalis, per quam præveniendo, collationem beneficiorum, aut eadem ſua collationi in futurum reſervando, liberè potest alios inferiores ordinarios impedit. *argum. c. 2. hoc lib. & tit.* Addendum verò eit, beneficia fieri affecta ſeu impedita, quod minus ab inferiore confeſſi poſſint, non ſolū per collationem, & reſervationem Papæ veram, & validam, ſed etiam per ſolam manus poſitionem, ut ſi Papa aliqui beneficij commendam lederit, beneficij renuntiationem acceperit, aut beneficium contulerit, vel confeſſi mandarit, tametsi collatio ſe proviſio ob personæ inhabilitatem irrita ſit, vel mandatum de providingo executioni non detur, quia ſubreptitum eſt, aut quia mox intervenit, vel ob aliam cauſam, ſeu impedimentum; in tali cauſa manet beneficium affectum Papæ, prout ex multorum ſententia docet *Garzias p. 5. c. 1. §. 2. Coker in Regul. 8. Gloss. 19. quamvis Franci hic n. 1. Abb. in c. intern. 10. de exequib. prælatorum. Petrus Gregorius Tholofanus, de re beneficariae. 24. n. 18. doceant, ſi Papa beneficium non reſervavit, & collatio ab ipſo, vel ad mandatum ejus, à delegato, vel executori facta, irrita fuīt, collationem ad Ordinarium reverti; quare secundum hanc ſententiam juxta Germania concordata,*

vidata, si intra tres meases post vacatio-  
nem per mortem, in loco beneficij cogni-  
tum, provisio beneficij fiat quidem à Papa,  
sed invalidè, ordinarius postea conferre  
poterit: idque etiam idcirco, quia clausula  
la concordatorum, ut nisi intra tres menses,  
auctoritate Apostolicâ provisum fuerit, or-  
dinarius liberè disponere possit, favorabi-  
lis centeri deber, quippe in Ecclesiastum uti-  
litudinem adjecta, ne beneficia diu vacare  
contingat, & ideo intelligi debet de pro-  
visione valida.

Potò si collatio Papæ effectum consecuta  
sit, videlicet per acceptationem provisi,  
tametsi is ante adeptam postulationem mor-  
tauit, certum esse debet, quod beneficium  
vacat per mortem hujus provisi, adeò ut  
si ea contingat in mense ordinarij, is ad col-  
lationem procedere possit, prout etiam *To-  
lausius cit. loco* significat.

Notandum secundò. Si quis beneficio  
renunciet ex falsa causa per probabilem  
ignorantiam, quia bonâ fide existimat col-  
lationem alterius beneficij validam fuisse,  
redire potest ad beneficium resignatum.  
*Ita Dominic. hic in principio Franc. n. 3.* Ra-  
tio est, quia resignation censetur fieri sub ta-  
cita conditione, si posterioris beneficij col-  
latio valeat, priùs habitum resigno; defi-  
ciente autem conditione, deficit actus, pro-  
ut videre est apud *Parisium lib. I. q. 3. n. 33.*

## CAPITULUM XXI.

Non potest.

## PARAPHRASIS.

Si Clericus dispensationem impetrat super  
beneficiorum pluralitate, & vel modicum  
beneficium retineat, dispensatio ei  
non prodest: deinde si Pontifex alicui  
indulget, ut duo beneficia curata, ca-  
nonicè ipsi collata, recipere, ac simul  
retinere possit, intelligi id debet de duobus,  
qua proximiè post acceptum indul-  
tum ipsi collata fuerint, ita ut ad aliud  
(si fortè unum dimiserit) extendi ne-

queat. Denique si tibi à Sede Aposto-  
lica beneficium conferatur, cum clau-  
sula non obstante, quod antea benefi-  
cium habeas, non ideo tecum super be-  
neficiorum pluralitate, seu ut duo bene-  
ficia simul retinere possis, dispensatum  
censetur, quandoquidem expressio illa,  
seu adjecta clausula, id solum operatur,  
ut impetratio beneficij secundi subrepti-  
tia censi non debeat.

## SUMMARIUM.

1. *Qualitas tacita, cuius expressionem jura, vel stylus curiae, necessariò requirunt, vitiat gratiam.*
2. *Et si cum aliquo dispensatur, ut possit duo beneficia curata simul retinere, intelligi debet dispensatio talis de duabus proxime recipiendas.*
3. *Gratia Principis in dubio ita intelligi debet, ut dispensationem contra jus non inducat.*

**N**otandum primò. Taciturnitas qua-  
litatis, cuius expressionem jura, vel  
stylus curiae necessariò requirunt, dispensatio-  
nem, & quamvis gratiam vitiat, tametsi, eā  
qualitate etiam expressa, Papa gratiam fe-  
cisset. Ita ex communi *Dominic. hic Franc.*  
*n. 2.*, & docui *lib. I. tract. 4. c. 22. n. 18.*  
propterera, quia expressio talis qualitatis est  
quasi forma legitima postulationis, quare  
non valet dispensatio impetrata super bene-  
ficiorum pluralitate, nisi omnia etiam mo-  
dica, qua habentur beneficia, narrata sint,  
sicut hīc dicitur in principio; neque valet  
impetratio beneficij secundi, nisi impetrans  
mentionem faciat, de beneficio etiam mo-  
dico, quod obtinet, vel ad quod jus ha-  
bet, sicut dicitur in fine *cap. & in c. si mo-*  
*tu 23. hoc tit.*

Addendum insuper primò. Quod etiam  
pensionis mentio facienda sit, si in titulum  
beneficij designata fuerit, ut videre est a-  
pud *Cokier in regul. cancellaria 61. Gar-  
ziam p. 1. c. 5. n. 81.*

Adden-